

Samuel Friedrich Willenberg

**Samuel Fridericus Willenberg, J.U.D. Ejus Et Historiarum Prof. Publ. Et Inspector  
Celeberrimi Athenaei Gedanensis, Lectiones Suas Auspicaturus, Ad Illas  
Benevole Audiendas Studiosam Juventutem Peramanter Invitat**

Gedani: Stolle, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817813543>

Druck Freier  Zugang





[Blank yellow label]

Hb  
9<sup>1-12</sup>



Hb - 9<sup>1-12</sup>

GEBUNDEN BEI  
W. SCHORNACK  
ROSTOCK 1/M.  
GRÜNER WEG 5.











*Q. D. B. V.*

**SAMUEL FRIDERICUS  
WILLENBERG,**

**J.U.D. EJUS ET HISTORIARUM PROF.  
PUBL. ET INSPECTOR CELEBERRIMI  
ATHENÆI GEDANENSIS,**

**LECTIONES SUAS**

**AUSPICATURUS,**

*AD ILLAS BENEVOLE AUDIENDAS*

**STUDIOSAM JUVENTUTEM**

**PERAMANTER INVITAT.**

---

**G E D A N I,**

**Imprimebat JOHANNES-ZACHARIAS STOLLE,  
ATHENÆI TYPOGRAPHUS.**





Opinionem quorundam: non posse ignorari ea, quorum ignorantia esse non potest, aut certe non debet, Juris nimirum naturalis scientiam in omnibus facilem largienti, quod natura in omnibus communis, in unoquoque præsens sit, nimium tribuit leviter consentiens. Equidem admitti potest de quibusdam generalibus, iisque primis principiis omni homini, quâ modo ratione pollet, cognitum, ac de his, quæ dictis proxima sunt, atque sic manifesta, ut ex lumine naturæ, quod est in ratione, nemini dubia appareant. Non amplectenda de principiatis, seu illis, quæ per ratiocinationis dexteritatem ex primis principiis colligenda, & per necessariam consequentiam inde deducenda. Hæc menti non facile obviant, facilitas nulla eorum, sed studium requirunt, ac artem intelligendi & colligendi majorem desiderant. Altio rem hanc indaginem causatur corrupta in omnibus ratio, cujus reparatio & ad bona reflectendi studium est in paucis, plurimi ratione non utuntur, plerique abutuntur, magna pars circa ea, quæ rationis sunt, aut incuriosè, aut nimis scrupulosè versatur, ubique isti obsistit affectuum perturbatio, & ad deteriora proclivis corruptela. Ut ergò sint congrua hominum negotia naturali juri, ad id reducenda sunt, per rationem homini concreatam cognoscendum, adminiculo simplicium illorum principiorum, in quæ resolvenda, quæ per ratiocinationem ex illis sunt deducta.

Jura positiva, quia præscribuntur publicè ad notitiam omnium, vel per diuturnam observantiam infiguntur mentibus civium, cognitu adhuc faciliora esse, existimari potest. Hinc ingenii cultum tantum requirere non videntur, neque ad abdita intimioris scientiæ deducere, quæ de externis saltem cuilibet & omnibus prospiciunt. At hæc ad eò familiaria nec esse omnibus, diversa fert mortalium conditio, quibus in hoc vel illud vitæ genus inclinantibus sæpè minus grata jurium notitia, aliis armorum studium, terræ aut maris occupationes, aliave publica domesticaq; cura aliis impedimentum struens.

Nihilominus lapsus contra jura talia ad excusationem non proficit, & muliercularum ac simplicium est præsidium, non intellexisse id juris esse. Aliis vitandi damni causa tantummodò refugere ad juris ignorantiam permittitur, non viso consono æquitati errore juris adimendæ rei meæ. A cæteris omnibus debitum sciendi communi jure exigitur, quod ex rescripto liquet ab Imperatoribus hoc tenore dato: *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Quod tametsi durum, quin alie-

L. 9. C. de  
Legib.





alienum à Praxi & Observantia appareat, numero hominum paucis-  
simo in illud iustum conspirante, maximo ad alias scientias transeunte,  
lex tamen ita scripta est, sine venia, nisi de qua dictum antea,  
transgressores vindicans. Et levamen solummodò affert, quod qui  
artificium Juris didicit non ipse, alios peritos Juris consulendo,  
causæ suæ remedium quærere possit, in quem sensum sententia Pauli  
constat, his verbis prolata: *Sed juris ignorantiam non prodesse Labco  
ita accipiendum æstimat, si juris consulti copiam habeat, vel sua prudentia  
instructus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia,  
quod rarò accipiendum est.*

L. 9. §. 3. ff.  
de jur. &  
fact. ignor.

Invitat hoc paulò intentius componere animum ad acquirendam  
jurium notitiam, & exitiosæ securitati probatam curiositatem ante-  
ferre. Dum itaque *Jurvenes Nobilissimi & Politissimi Vobis* in jure  
instrueudis publica Magnifici Senatûs auctoritate constitutus, Vos  
animo accingendi eritis ad Legum præcepta graviter capienda. Ex-  
citabit illum in Vobis tum studii hujus excellentia, tum mea sine  
difficultate ad scopum intentum manu ductio, quâ successum voto  
respondentem obtinere poteritis. Este hinc parati ad audiendas  
Lectiones publicas privatasque captui vestro omni studio accommo-  
dandas. In prima quidem Curia hac vice diebus Lunæ & Jovis  
hora secunda fundamenta Juris Naturalis & Gentium publicè vobiscum  
evolvere decrevi, planè eâ fiduciâ persuasus, rem gratam quarum-  
cunque facultatum studiosis me esse facturum, utpote cui Juri exco-  
lendo in omnibus ferè Scholis nunc magnum studium impen-  
ditur. Est enim sanctissimum illud Jus Naturæ non Jus, certæ condi-  
tionis hominum arbitrium restringens, sed omnes in universum mor-  
tales sine discrimine obligans, actiones inter DEUM & homines, ac  
deindè inter homines ipsos ad sui conformitatem dirigens, contra quod  
agens admonitionem conscientie sentit, licet veniam à Civili Potestate  
habeat, tantoque hinc curatius ab omnibus colendum. Neque mi-  
nori cura Jus, quod humanis necessitatibus pro vita recta & tranquilla  
consulit, æstimandum est, & vel indè sedulò ab unoquoque exco-  
lendum, quod Gentium integrarum assensus justum & æquum re-  
putet, quod pro morum honestate vitæ & consuetudinis compendiis  
usui communi convenire approbat. Utriusque hujus juris notitiam fe-  
liciter comparandi, proderit inspicere Ductorem, qui compendiosè  
ad illam viam monstrat, & imprimis ad usum discentium laborem  
suum dirigit. Hinc placet Viri Excellentissimi *Dn. Philippi Rein-  
hardi Vitriarii*, Jcti & Antecessoris apud Lugdunenses famigeratis-  
simi, *Introductionem Juris Naturæ & Gentium* explicando sequi, nobis  
ob id visam apprimè commodam, quod per quæstiones perspicuas  
ad



ad Magni Grotii methodum in libro de Jure Belli & Pacis rerum momenta Vir celeberrimus tractet, & sicubi discessum à Grotii sententiis facit, eundem rationibus & Doctorum assensu muniat. Ex Jure privato diebus Veneris & Sabbathi, illo hora tertia, hoc octava matutina Textum Imperialium Institutionum explanare ordiar. Juvabit præ cæteris adhibuisse editionem perpetuâ paraphrasi Perillustr. *Dn. Pauli de Fuchs*, prædictum textum continentem, laboremque nostrum hac in parte sublevantem, quod digna, quæ notanda, jam adjecta contineat. Haurtis ex hisce Lectionibus fundamentis, & re in thesi cognita, sequar institutum Nobilissimi & Consultissimi *Dn. à Dieffeldorff*, Antecessoris & Fautoris mei omni honore colendi, & hebdomadatim per disputationes, hora omnibus opportuna, theses propositas examini subjiciam, quarum fructus jucundus erit exercitio huic deditis, quod reducent altius in memoriam & animum, quæ viva voce audita, & hoc insimul mihi gratum, produxisse ad solenniores aliquandò disputationes solertiores Antagonistas. In Secunda Curia Quatuor Monarchiarum Historiam diebus Martis & Sabbathi, illo hora tertia, hoc nona matutina explicandam suscipiam, conatu pro addiscendis historici studii initiis peropportuno, ita ut sub narratione Imperatorum Romanorum, nimirum recentissimorum seculorum, res gestas nostri temporis pingviori quodam apparatu cumulem. Hic verò ut promptius capiantur Lectionum tradita, per examina subindè auditarum rerum repetitionem poscam, atque ita, ut vertantur in sanguinem & succum, omni cura faciam. Privatim Collegium Lectorio-Examinatorium cum illis, quibus usui esse videbitur, instituiam. Usui verò sine prævia commendatione poterit esse omnibus, quibus proletaria studia displicent, quique ad addiscenda solida Juris fundamenta animum præparant, suis commodis tantò securiùs consulere intenti, quantò certiores ipsi per explorandas ingenii vires de illis fieri possunt. Ductum sequemur *Examinis Institutionum Imperialium Magnifici Dn. Hoppii*, quod ut non sine insigni fructu esse cognovi meis quondam Auditoribus in Electorali Viadrina etiamnum æstimatissimis, ita eodem usu meis hic futuris *Dnis Auditoribus* id fore non sine omine auguror. Agedum ergò rem ipsam putemus, initiumque Lectionum publicarum crastino die faciamus, Divinâ Benedictione freti, operas nostras exoptato cessuras eventum. Vos verò *Juvenes Nobilissimi & Politissimi*, ut frequenti numero & animo attento ad audiendum me accedatis, officiosè rogo & peramanter invito. P.P. Dominica Sexages. Anno recuperatæ Salutis M. DCCII.


















[Faint, illegible text on a small paper label affixed to the spine area.]



stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,  
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.  
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-  
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque  
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-  
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-  
 o stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-  
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-  
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-  
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-  
 ebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-  
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-  
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &  
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-  
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-  
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-  
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia  
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae  
 querentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-  
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-  
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,  
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam  
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-  
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-  
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-  
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-  
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae  
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae  
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta  
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-  
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-  
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-  
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-  
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-  
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-  
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani  
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae  
 ficis ceruicem penitus nunquam submisit, & vel  
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.  
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-  
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,  
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-  
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.  
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-  
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische  
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.  
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. \*) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-  
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

